



~~SV. 15.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-35.

SIGNAT. CCCXIII.



3

A D R E V E R E N D I S S I-  
M V M E T I L L V S T R I S S I M V M  
P R I N C I P E M , D O M I N V M  
H E N R I C V M I V L I V M ,

Præsulem Halberstad. Ducem Brunf.  
& Lunæburg. de nato  
filio

# GRATVLATIO

Ioannis Caselij.



H E L M A E S T A D I I  
In Academia IVLIA.

*Ex officina Typographica Iacobi Lucij. Anno  
1691. Is XCI.  
Mense Aprili.*

30

AD REVERENDISSI-  
MVM ETISSIMVM  
PRINCIPIVM



Excellens et magnificus Princeps  
Adriani V. 1515  
M. W. D.

REVERENDISSIME  
PRAESVL, DVX ILLV-  
STRISSIME.

**N**on vna eademq; vis est dictorum, quæ quotidie populus in ore habet: quod ego nunc te non doceo, summi ingenij principem, & varijs reconditifq; litteris præditum: sed vt ad ea, quæ constitui ad te perscribere, ordine & commodè accedam. Alia enim in ijs sunt non minus vera, quam solem lucere meridie: vt quæ de vicissitudine rerum humanarum iactantur: alijs nihil est falsius, quibus tamen haud scio, an magis plæriq; assentimur: quales sunt opiniones de diuitijs: de quibus inter se quotidiè digladiantur miseri: super sunt alia medij generis, quæ si aliquando nos ducunt, tamen sæpè etiam fallunt. Sed hanc esse varietatem vulgi opinionum nihil mirum: nec admodum querendum, à quibus videlicet cuiq; tuto disce-

A 2 dere

dere licere videatur. Non semper fixas cer-  
tasq; esse sententias sapientum; incommodi  
& iustæ querelæ plus habet. Quo enim nos  
vertemus in vita, si quos in ea duces na&gt;i fue-  
rimus, ipsi in deuia abeunt? Vacillare tamen  
eos interdū videmus. Etenim etsi Epicharmus  
vigilare iubet & minimè tradere obliuioni, ne-  
mini esse fidendum: hos enim esse neruos sapi-  
entiæ: tamen, si quis nec ipse cuiquam fidem  
præstet, nec alijs fidem adhibeat, omnem vitā  
subito miscebimus & euertemus. Sed nunc  
dicam, qua gratia mihi in mentem venerit, de  
sapientum sententijs dubitare. Cum enim me-  
ditarer hanc opellam, obiectum animo meo  
fuit, quod à sapientibus acceptum tot sæcula  
celebrarunt: cui sententiæ si & ipse subscribe-  
rem, abijcere calamū potius debebam, quam  
tibi de nato filio gratulari. Sed cum in hoc  
gratulationis studium certatim & principes  
& populos incumbere animaduerterem, cum  
antè mihi, idem à me non fore alienum, per-  
suasissim, modo aliquid auditione dignum  
depromerem; accuratius consideraui, quod  
obstare

deie

• A

obstare tali consilio videretur: nec ipsum indi-  
gnum iudico, de quo paucis differam. Siue  
vetustior fuit, & nobilior inuentor huius ver-  
bi, siue Silenus, cum à Mida in syluis, inter ve-  
nandum captus fuisset, (hoc autem à priscis  
relatū recenset Aristoteles) vi coactus ita pro-  
didit: optimum esse non nasci, aut natum quā  
citissimè exstingui; percellit illud equidem  
auditorem, & in suam sententiam rapit antē,  
quām considerauerit. Sed ipsum prius dictum  
diuidam, vt de altero tantum loquar: nec ta-  
men magis verum existimo, fatius esse hunc  
solem, quem primum aspiceris, prius etiam,  
quām ipsum & cætera naturæ bona, eiusq; au-  
ctorem agnoueris, in mortem perpetuasq; te-  
nebras demergi: quām de quo tantum, nec  
ita multis agam: optimum esse non nasci. Sic  
autem ipse cogito: quod si singulis non nasci,  
tam expedit, quām quod maximè; idem om-  
nibus expedire negari non potest. Iam qui ve-  
lit neminem vnquam vixisse mortalium, hanc  
vniuersam speciem, vti loquitur, ex vniuersi-  
tate rerum sublatam velit: si hæc modo sine

A 3 homi-

32

homine momentum queat consistere. Sublato homine non solum theatrum relinquetur absq; spectatore, sed etiam, quæ hoc minora sunt, vt cætera, quæ in orbe terrarum omnia, annè esse, sit operæ premium? siue curiosus ille & nature rerum reformator, hoc quoq; afferat, siue in medio relinquat. Quæ omnia si in nihilum redigantur, aut nihil ab initio fuerint; nec superiora sint, à quibus hæc sunt & dependent. Etenim in hoc genere effectis omnibus sublati, caussa aut nulla erit, aut nihil: vt si calor non sit, ignis ipse nusquam sit. Illud qui velit, aut cui perinde sit; nec omnium auctorem esse velit, aut sitne an non sit, perinde habeat. Is igitur cum sapientiam, virtutem, omnia deniq; bona, & illarum horumq; æternum perennemq; fontem cum horreat, & se parricidam conditoris & sui & omnium impiè profiteatur; cum omnia mala meretur, tum hoc vnum maximum, vt nihil sit, seq; infra nihil esse, si id queat fieri, omnibus exquisitissimis supra Sisyphum, Tantulum, similes, ex cruciari excarnificariq; in perpetuum sentiat.

Igitur

Igitur natos esse nos velimus: & gaudemus;  
hoc nos sole, & omnibus, quæ augustissima  
illa lux in terris & in cœlo nobis ostendit, per-  
frui & animo videre & suspirare primum  
solem, auctorem omnium aueamus: & de-  
mus operam, vt iij simus, quos ille nos esse ius-  
sit: nec impiè nolimus, nos in hanc vniuersita-  
tis scenam venisse: in ea esse, & nostrum  
quisq; locum tueri cum dignitate velimus: nec  
detrectemus decadere, quando summus ille  
imperator annuat. Non autem prorsus hinc  
absunt, qui nos hic reliquerunt: nobis etiam  
videndum, vt nostrum locum à nobis orti  
tueantur. Quod qui faciunt, cur ijs non gra-  
tulemur, cum æternæ sapientissimæque vo-  
luntati volentes pareant, quo rectius fieri  
nihil potest: presertim principibus, qui sui simi-  
les vtilitati publice & cultui numinis procreat,  
& natos ad imperium, hoc est ad conserua-  
tionem & salutem ciuitatum & populorum edu-  
cant. Ego quoque tibi, si hoc accipis, sicut mea  
solitus fuisti accipere, & ab humillimo accipe-  
res, tibi de nato filio gratulor. Hoc autem per-  
hone-

honestum & humanitati consentaneum munus tribus potissimum rebus expleri arbitror: benevolentia seu animi affectione, & voto, & ope, si quam ferre possit is, qui gratulatur. Esse autem me animo in te tuosq;, quo debo, & mihi conscius sum, & quibus potui rebus semper declaraui, & declarabo deinceps. In perpetuum enim non minus in te gratus, quam apud te gratosus esse cupio. Votum facio, eo animo quem praemero, idem, quod parentes: ut vivat, ut valeat, ut virtute dignitateq; regia equeat maiores: ut omnibus fortunæ bonis floreat: ut cum populis suis, tum imperio saluus sit. Si hoc quoq; requiritur, ut aliquid etiam à gratulante accedat boni; parum esse, quod à me exspectari possit, non infitior, nec posse tamen praestari nihil, puto. Etenim vos fortunæ bonis cumulatissimi principes, & ita merentibus, & quibus libet alijs, beneficia regia largimini: neq; raro in me & abundè munificus fuisti. Quibus nos animi bonis parandis incubuimus, & si quadeijs nostra fecimus; ea non ita prorsus communicare cum alijs possumus, neq; tamē prorsus

sus non possumus. Aurum namq; & quæ no-  
mine pecuniæ censentur , casu alicui offerri  
possunt , & conferuntur sæpè in quemlibet.  
Virtutis & sapientiæ longè alia ratio est. Nisi  
enim natura ingenium dederit, nisi laborem  
ipse subeas, alteri beneficentiæ locus esse non  
poterit: si illa in promptu habeas; hæc docto-  
rum liberalitas facile æquat regum magnifi-  
centiam: etsi de ea ex auctoritate veterum &  
bonis rationibus splendidius loqui mihi pos-  
se videar. Quod ad me, fortè & alij existima-  
bunt , neque ipse, vt puto, negabis : aliquid  
me consilij ad felicitatem natū tibi ex Elis-  
betha, principis Friderici II. regis Daniæ sa-  
pientissimi F. posse conferre cum ceteris, si qui-  
dem de liberorum, non solnū inferioris con-  
ditionis hominum , sed regum quoque &  
principum educatione , & multa didici, &  
expertus sum , & cognoscere quotidiè labo-  
ro. Parum autem abest, quin ex hac ipsa vni-  
uersum hominis curriculum pendeat , quòd  
prout illa fuerit, ita quemque miserum dein-  
ceps, aut felicem esse, necesse sit. Quod si et-

B

iam

34

iam Platonem audimus , siue de eius interpretatione magistrum formatoremque vitæ optimum, Socratem , vel à primo ortu , nec minus, quam ab infantia vel sub pubertatem, illa opus est. Initium enim faciendum erit ab alimento , cuius prima iustaque præbitio ne, etiam ad temperantiam , moderationem animi, eiusque magnitudinem , via muniri intelligitur: quod idem ille diuinitus contrarijs illustrat, & pro re satis demonstrat. Nec Homerus præterit , vt Phœnix infantulum Achillem nutrierit. Tale igitur tibi princeps Henrice Iuli , munus paro, magnum etiam vti spero , usque futurum cum plurimis alijs, tum filio tuo maximè : idque erit TPIKOPEION secundum , quod cædem tres deæ fabricabuntur ingenio & oratione, quæ nuptias tuas anno superiore cohonestarunt.

SALVVS SIS CVM MAGNO SOCERO, SOCRV, MATRE, VXORE, FILIO, FRA-  
TRI-

TRIBVS, AFFINIBVS, CVMQVE  
VESTRIS OMNIBVS: ITA  
NOS QVOQVE SALVI ERI-  
MVS. NOSTRA ENIM SALVS  
MAXIMAM PARTEM, DEPEN-  
DET A VESTRA: VNIVERSO-  
RVM AVTEM A PRIMA SA-  
LVTE: QVINOBIS PRO-  
PITIVS SIT IN PER-  
PETVVM.

F I N I S.



35

TRIBVS AFFINIAS, CVMQVE  
VASTRIS OMNIBVS: ITA  
NOSEVOOAE SALVATHE  
MAS NOSTRAYA ENIM SALVAS  
MAXIMAM TATTEM, DEPEN-  
DET AVASTRA: UNIVERSO-  
RAM AUTEM PRIMA SV-  
LUTE QVINOBIS PRO-  
BITIAZ SIT IN PER-  
PETUUM

E I N I S



ULB Halle  
001 853 031

3



56.


Barcode hängt an  
1. angeb. Stütze, da 1. Stk. nicht i. Bd.

Stk. 6a nicht erf., da  
Handschrift

12a unvollst., nicht  
erfäßt



### Farbkarte #13



B.I.G.

A D REVERENDISSI-  
MVM ET ILLVSTRISSIMVM  
PRINCIPEM, DOMINVM  
HENRICVM IVLIVM,  
Præfulem Halberstad. Ducem Brunſ.  
& Lunæburg. de nato  
filio

## GRATVLATIO

Ioannis Cafelij.



HELM AE STADII  
In Academia IVLIA.

*Ex officina Typographica Iacobi Lucij.* Anno  
615 Io XCI.  
Mense Aprili.

30